



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Qvænam sint partes constitutivæ hujus Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

PARS II. DE SACRAMENTO POENITENTIAE

CAPVT V.

DE ESSENTIA ET PARTIBVS CONSTITVTIVIS HVIVS SACRAMENTI.

CONTROVERSIA I.

Quanam sint partes constitutivæ huius Sacramenti.

959.



Incendum est 1. Verba absolutionis sunt pars essentialis huius Sacramenti. Ità communissima contra Scotum, de cuius mente immeritò dubitant aliqui DD. an totam essentiam huius Sacramenti in absolutione constituerit. Nam licet ejus verba quæ habet in 4. dist. 14. q. 4. possent sententiæ communi non difficulter accommodari, quòd solum velit, absolutionem solam importari in recto: quæ tamen habet dist. 16. q. 1. non videntur recipere interpretationem. sic enim loquitur. [DICO quòd ista tria, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, nullo modo NB. sint partes (Sacramenti Pœnitentiæ) quia Pœnitentiæ Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis: huius autem nulla pars est contritio, quæ est quoddam spirituale in anima: neque Confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacerdotis, sed actus rei accusantis: Neque satisfactio, sed sequitur absolutionem Sacramentalem: hæc tamen tria ad Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc ut ritè suscipiatur, requiruntur, vel prævia vel sequentia, simpliciter enim requiritur confessio, quia Sacerdos non absolvit reum arbitrariè, nisi priùs reus fuerit sibi accusatus in illo foro; non est etiam utilis illa absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio vel attritio.]

Quòd ergo Verba absolutionis non sint totum Sacramentum Pœnitentiæ, probabitur in sequentibus Conclusionibus, vbi cæteræ partes af-

signabuntur. Et satis constat ex Cont. Florent. Trid. asserentibus, quòd Verba absolutionis sint forma huius Sacramenti: atque forma est pars non ipsum totum. Scio, Recentiores Hilanum totum esse in eo, ut ostendat, posse Concilia intelligi de forma non prout comparata ad materiam ex qua, sed ad materiam in qua, hanc autem non est necesse esse partem constitutivam totius quod exprimitur nomine formæ, ut si quid diceret: Albedo est forma, cuius materia est lac: ego ipse notavi in tract. de Sacram. in gener. Concilia non semper enumerasse materiam ex qua, sed quandoque Materiam circa quam. Illi tamen certum est, Concilium per formam voluisse univèrsim intelligere partem Sacramenti, & comparasse ad alias partes etiam constitutivas, nam post Florentinum nullus Classicus Doctor constituit Sacramentum adæquare in sola forma, quod ego sciam, nisi quòd hic Recentior dicat, sic quando Scoti sententiam defendisse.

Quòd verba absolutionis sint de Essentia huius Sacramenti, plusquam certum est. Nam Verba absolutionis sunt operativa effectus, qui per hoc Sacramentum intenditur, sunt enim absolutoria: ergo sunt de Essentia huius Sacramenti, cuius essentia est: esse Judicium. Deinde, solà absolutione non posita, ceteris omnibus positis, non est Sacramentum: juxta Regulam Partium est constitutiva Sacramenti, impossibile enim est, aliquid non esse, præcisè ex defectu alicujus non constitui.

960. Dicendum 2. Confessio est etiam pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Probat 1. ex Regula generali de omnibus Sacramentis. Quidquid Deus ad valorem Sacramenti cuiuscunque instituit & requirit, quod est aliquid sensibile in seipso, & immediatè sub sensu cadens, illud agnoscitur tanquam pars constitutiva Sacramenti in ratione signi & cæremoniæ sensibilis: sed talis est confessio & accusatio in Sacramento Pœnitentiæ: ergo. Minor est indubitata, nam aliquam saltem inchoatam confessionem essentialiter requirit omnes fatentur, etiam pro articulo mortis. Major patet ab inductione, nec enim quidquam sensibile requisitum ad valorem in vilo Sacramento potest assignari, quod non habeatur pro constitutivo.

Probatur 2. Specialiter in hoc Sacramento. Nam Sacramentum Pœnitentiæ est institutum in forma Iudicii forensis, seu Tribunalis, & per hoc maximè differt à Baptismo, ut docet Tridentinum *sess. 14. c. 2.* Atqui de essentia Iudicii forensis & Tribunalis exerciti est accusatio rei: ergo &c.

961. Dicendum 3. Contritio (præcendendo à Perfecta & imperfecta) est etiam pars constitutiva hujus Sacramenti. Probat 1. Non posita retractatione, posita quantumvis confessione & absolutione, & etiam intentione Ministri, non fit Sacramentum. ergo juxta regulam receptam est pars constitutiva, vel erit necesse assignare aliam partem, quæ deficiat in casu posita confessionis & absolutionis, sine retractatione, nulla autem alia assignatur: ergo tunc deficit totum ex defectu retractationis.

Confirmantur hæc tres conclusiones ex eo quod sunt planè conformes Tridentino *c. 3. sess. 14.* ubi dicitur: [Sunt autem quasi Materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.]

Objicies 1. Contritio non est sensibilis: ergo non est pars Sacramenti. R. Distinguo antecedens. Non est sensibilis in se immediatè, concedo; in alia comparte, nempe in Confessione, quæ est manifestativa animi volentis absolvi, & præstantis ea quæ ad obrinendam absolutionem requiruntur, nego. Plures autem sunt Sacramentorum partes, quæ non nisi in alio sunt sensibiles: v. g. forma substantialis aquæ in baptismo: Intentio Ministri: consensus internus in Matrimonio: voluntas instituentis: character quoad aliorum Sacramentorum administrationem, ut dicitur *tr. de Sacram. in genere.*

Objicies 2. Ergo pœnitens est partialiter minister hujus Sacramenti, & administrat Sacramentum sibi ipsi. Nam ille est Minister, qui exercet actus constituentes Sacramentum. R. Negando consequentiam. Ille solus denominatur

Minister, qui exercet officium Iudicis; ille autem exercet officium Iudicis, qui ad instantiam rei fert sententiam: & univèrsim in omni Sacramento ille est Minister, qui per formam nomine Christi prolatam determinat reliquas partes ad esse Sacramenti.

Objicies 3. Ergo etiam peccata erunt pars Sacramenti, quia includuntur à Confessione ut verà, & illis non positis cæteris positis non est validum Sacramentum. Ad hanc objectionem respondebitur Controv. Sequentè. Nunc

962. Dicendum 4. Satisfactio est pars saltem integralis, hoc est, sine qua quidem esset essentia Sacramenti, non tamen integrum. Probat ex Tridentino paulò antè allegato, cujus verba recitavimus, in quibus ratio conclusionis continetur, & explicabitur in loco.

CONTROVERSIA II.

An peccata absolvenda ita sint Materia remota, ut nullo sensu sint pars Sacramenti.

963. S. Thomas q. 84. a. 2. quærens an peccata sint materia Pœnitentiæ, responder in C. his verbis. [Dicendum, quod duplex est materia, scilicet proxima & remota: sicut statua proxima materia est metallum, remota verò aqua. Dictum est autem, quod materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, cujus materia sunt peccata de quibus dololet, & quæ confitentur, & pro quibus satisfaciunt. Unde relinquitur, quod remota materia pœnitentiæ sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda & destruenda.] Hæc S. Thomas, cujus auctoritate ducti cæteri Theologi dixerunt, Peccata esse materiam remotam, non quidem sicut est aqua respectu baptismi & ablutionis, sed materiam circa quam ut destruendam versatur Sacramentum, sicut in Eucharistia materia circa quam est panis.

Card. de Lugo docet, Peccatum esse quidem materiam remotam, ut destruendum, sed tamen in ratione præteriti esse partem constitutivam. Ratio est, quia si nullum peccatum præcessisset, & tamen adesset dolor de peccato (quia falsò puto me peccasse) & confessio & absolutio, non fieret Sacramentum, ut omnes fatentur: unde vi regulæ partium infert, peccatum in ratione præteriti esse partem constitutivam.

Contra hanc Lugonis sententiam insurgunt potissimum duo Recentiores, P. Dicastillo & P. Esparza (quibus accedunt Perez d. 17. *sess. 7. n. 4.* & P. Antonius à Spiritu S.) qui quidem in eo conveniunt, quod sententia Lugonis sit contra omnes anteriores Theologos; sed in modo rejiciendi differunt. Nam P. Dicastillo rejicit per viam Connotatoribus familiarem, quo modo rejecit eundem Auctorem asserentem, quod Intentio Ministri sit pars constitutiva Sacramenti;

R r r r 2

sed